R. m.

In nomine domini amen. C. dei gratia episcopus Curiensis. Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit
in vero salutari salutem cum noticia subscriptorum. Pontificalem decet sollicitudinem [illegible]ciarum utilitatibus invigilare
et earum indempnitatibus consulere inquantum potest. Volumus igitur quod ad noticiam deveniat singulorum, quod de eo-
rum consensu, consilio et assensu totius capituli ecclesie nostre Curiensis deliberatione prehabita diligenti, nomine [illegible]
[illegible]pantes, die et loco ut moris est, ad hoc specialiter deputatis, tam pro utilitate ecclesie nostre quam etiam pro utilitate
monasterii sancti Lucii ordinis premonstratensis extra civitatem Curiensem, inter nos nomine capituli ex parte una, et dilectos nobis in Christo prepo-
situm et conventum ipsius monasterii sancti Lucii ex parte altera, talem fecimus adinvicem contractum quarundam ecclesiarum et
permutationem in hunc modum, videlicet ut ecclesia in Pradis cuius ius patronatus ad predictum pertinebat monasterium, cum
duabus curtibus in Swaingin(?) et in Pradis ad ipsam ecclesiam pertinentibus, cum omnibus earum attinentiis et iuribus qui-
buscunque ad nos et ad ecclesiam nostram Curiensem ex nunc inantea pertineant et devoluantur, et fructus et sui redditus pre-
dicte ecclesie in Pradis et predictarum curtium in usus nostros et successorum nostrorum cedant, devoluantur et convertantur plenarie
a nobis nostrisque successoribus in perpetuum possidendi. Ecclesia vero in Sigans cuius ius patronatus ad nos pertinere dinoscitur, quando
ipsam per resignationem seu mortem Comitis H. de Monte rectoris ipsius vacare contingerit, ad predictum
monasterium sancti Lucii cum omni iure ecclesiastico redditibus pertineat et devoluatur, ita ut fructus seu redditus ecclesie ipsius
in Sigans ad mensam et in usus fratrum dicti monasterii plene devoluantur, ipsorum inopiam seu indigentiam re-
levando, et ut ipsi fratres predicte ecclesie quamcito ipsam vacare contingerit, tam in spiritualibus quam etiam in temporalibus debi-
te provideant aliquem de ipsorum collegio vel personam secularem domino sic ydoneam presentantes, omni tamen iure episcopali in
eadem ecclesia nobis nostrisque successoribus salvo et reservato. Ut autem hec permutatio que pro utilitate ecclesie nostre facta est
a nullo successorum nostrorum in posterum violari possit vel revocari, presentem cedulam ipsis dedimus fratribus sigillo nostro
et sigillo capituli nostri roboratam et communitam. Testes vero qui predicte permutationi interfuerunt sunt hii: Marquardus(?)
et Wolfradus comites de Veringin. C. decanus Curiensis. H. de Sazingin(?). Ul. de Schowenburch. C. de Walgsade(?).
Hamr.(?) de Gravenes(?) canonici Curienses et alii quam plures. Datum Curie anno domini M°. CC°. Lx[illegible]. [illegible]
proximo die [illegible] post assumptionem beate virginis. Indict. x.

Episcopus Curiensis facit cum Mona-
sterio S. Lucij Concambium, vi cuius
omnia Bona de Sagens ad mensam
Conventus pertinentia cum Iure
Patronatus. Ao 1262.

F

N. 1.

Decimae est de novo S. Lucii adiudicatae
sicut testantur litterae tam sub integra
anni 1453. et 1489. et 1509.
novalia. cerae et mellis ...

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz